



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 49. Regis Ottonis sponsalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

VI.

§. XLIX.

Regis Ottonis sponsalia.

Sæcul. XIII.
A.C. 1209.

*Otto a
S. Blas. c. 51*

Neg. ep. 169.

Inter hæc Otto Rex, ab æmuli timore liberatus, coronam Imperii a Pontifice petere statuit. Quare Comitibus generalibus Hagenoviæ, in Quadragesimo, anno millesimo ducentesimo nono, celebratis, publice denunciavit, se iter in Italiam suscepturum esse. Ut vero deinceps bellorum occasio tolleretur, & Saxoniam, Sueviæque, familiæ arctissima connecterentur amicitia, visum est collectis Principibus optimum remedium, si Otto defuncti Regis Philippi filiam matrimonio sibi jungeret, qua de re vivente adhuc Philippo deliberatum fuisset. Porro, quia inter ambos affinitas sanguinis intercedebat, necessaria erat Papæ dispensatio, quam Ottoni jam anno superiore exeunte concessurum se promiserat. Itaque Pontifex Cardinales, Legatos a se in Germaniam antea missos, Hugolinum & Leonem, Dispensationis Decretum solemniter promulgare jussit, qui ubi ad Regem Ottonem pervenerunt, ille alia Comitibus seu Curiam generalem Herbipoli, in die octava Pentecostes, quod Festum hoc anno millesimo ducentesimo nono in diem vigesimam quintam Junii inciderat, celebravit. Præter Principes Germaniæ, aderant

LIX.

Sæcul.XIII.
A.C.1209.
aderant Legati Civitatum Italiae, Ottoni obedientiam promissuri. Omnibus in Palatio congregatis, Rex Solium conscendit, duobus Cardinalibus & Principibus inferius sedentibus. Tum Cardinalis Hugolinus, de matrimonio, quod conveniendi causa fuerat, aliqua præfatus, Regi Ottoni, ut illud amore pacis iniret, auctoritate Sedis Apostolicæ, præcepit. Ceterum latine loquebatur, & Episcopus Herbipolensis Interpretis fungebatur officio.

Rege profitente, quod lubenti animo obediret, Abbas Morimontensis surrexit, & nomine omnium Abbatum, tam sui, quam Cluniacensis Ordinis, prolocutus, ait, Matrimonium istud, cum Legibus Ecclesiæ adversaretur, accedente licet Dispensatione, sine omni peccato contrahi non posse, injunxitque Regi, auctoritate Papæ, poenitentiam in hunc modum: Nunquam non Defensor Monasteriorum, aliarumque Ecclesiarum, viduarum, & pupillorum existeret. Novum Monasterium Ordinis Cisterciensis in aliquo fundo Ditionis suæ conderet, & ipse, ad ferendam opem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, exercitum in Orientem duceret. Mox, Rege Ottone conditiones omnes recipiente, Leopoldus Dux Austriae & Ludovicus Dux Bavariae Principem, Philippi Regis filiam introdu-

introducunt, quæ interrogata an Ottoni Regi nubere vellet, subito rubore genas pingente, respondit, se quidem liberime consentire. Ergo Ottoni ministerio Cardinalium desponsata, in Saxoniam deinde, Brunswici aliquamdiu commorata, dimittitur.

Sæcul. XIII.
A. C. 1209.

§. L.

Otto IV. coronatur.

Rex Otto, Comitibus generalibus iterum ad Festum S. Petri Augustæ Vindelicorum celebratis, & præmissis Legatis, in Italiam movit. Tum, Curia generali Bononiæ convocata, negotia illius regionis cum optimatibus tractavit, ac inde progressus in Tusciam, Patriarcham Aquilejensem & Episcopum Spirensis ad Papam misit, de pactis, quibus coronaretur, acturos. Priusquam vero Otto ex Germania profectus fuisset, urgentibus, ut verisimile est, Legatis Pontificiis, juramento se Papæ obstrinxerat, in hunc ferme modum: *Eum tibi honorem & Dignitatem Imperatoris, quam Majores nostri tuis Antecessoribus, exhibebimus, nec quidquam subtrahuri, sed potius addituri sumus. Volumus, ut Prælati Ecclesiarum libere eligantur, & Sedem vacantem ille consequatur, quem totum Capitulum, vel major & sanior pars exoptaverit. Quilibet in causis Ecclesiasticis libere ad*

Otto c. 52.

Deneg. Imp. ep. 189.

*1000
1112
1110*

Hist. Eccles. Tom. XIX. N Sa-